

ELEGANTIORIS LATINITATIS THEORIA  
E  
CICERONE & QUINTILIANO.

---

SPECIMEN ACADEMICUM,

CUJUS

PARTEM ALTERAM,

*Suffragio Amplisf. Senat. Philos. in Imper. ad Aulam  
Athenæo,*

PUBLICÆ EXAMINANDAM SISTUNT

AUCTOR

**CAROLUS GEORG. EKMARK,**

*Philos. Magist. Conrect. Schol. Triv. Lovis.*

ET

RESPONDENS

**CAROLUS ELIAS ALOPÆUS,**

*Wiburgensis.*

In Audit. Med. die xxvii Nov. MDCCCXI.

H. A. M. S.

---

ABOÆ, TYPIS FRENCKELLIANIS.

INTERNATIONAL ASSOCIATION OF THE AMERICAN

CLERICAL & OFFICIAL

CONFERENCE

REPORT OF THE

COMMISSIONERS OF THE CONFERENCE

FOR THE YEAR 1900

CHICAGO, ILL., 1901

PRINTED BY THE

AMERICAN CLERICAL ASSOCIATION

112 N. W. 2<sup>ND</sup> ST.

CHICAGO, ILL.



tendum est, præcos interdum hisce temporibus promiscue usos fuisse. Sed tantum abest ut rarissimus eorum abusus hunc rectum tollat usum, ut potius ipsos non semper in loquendo satis diligentes fuisse doceat (b). Hæc temporum propria vis, hic proprius usus. Sed est tamen alius eorum non tam rectus quam urbanus in epistolis usus. Solent nempe Latini, ob humanitatem amici ad quem scribunt, rem mutationi obnoxiam præsentem licet, non *præsenti*, sed *imperfecto* exprimere tempore; nam quod scribenti præsens est, id legenti præteritum esse potest. Sic semper Cicero: *Rem te valde bene gessisse rumor erat; expectabantur litteræ* (c), pro nostro: *rumor est, expectantur*. Huc pertinet, quod, si quid amico mittunt, scribunt, non ut nos *mitto, scribo*; sed *misi, scripsi*, dicere solent, ad tempus legentis se accommodantes, cui illud jam missum aut scriptum est. v. c. *Hæc scripsi — ante lucem* (d). In temporum consecutione sæpe justo plus labuntur tirones a vernacula in errorem quasi rapti; quare iis probe tenendum est: post omnes particulas conjunctivum vel per se, vel ob contextura regentes, item pronomen Relativum, si *præsens* præcesserit, *præsens* plerumque poni debere, v. c. *Quid faciat non habet* (e); post futurum item *præsens* sequi v. c. *Non dicam plura ne - - id ipsum videar imitari* (f). *Imperfectum* post *Imperfectum*, v. c. — *litteras, per quas mecum*  
C agebas

b) Vide Schell. præc. St. P I. C. 2.

c) ad Div. L. I. Ep. 8 prope fin.

d) Ibid. Ep. 2 prope fin.

e) Cic. ad Div. L. IX. Ep. 17 b,

f) Ibid. L. III. Ep. 8 p. 38 a.

agebas, ne — impedirem quominus — ædificarent (g). Imperfectum post perfectum, v. c. *Litteras - - accepi. que me docerent* (b). Imperfectum post plusquamperfectum, v. c. *Cum ad me aditum esset ab iis qui dicerent* (i). Istam vero temporum consecutionem, vel ob vim temporum propriam semper respiciendam, vel ob alias causas nescio quas, a priscis non semper diligenter servatam fuisse, sibi facile persuadebit qui auctores diligenter perlegat; qua de re apud cel. Schellerum fufius scriptum legimus (k). Ad lectionem veterum Classicorum accedens tiro, qui, cur interdum pronomen relativum sine aliqua ut videretur causa idonea cum conjunctivo constructum reperiat, miretur; accipiat heic regulas hujus constructionis brevissimas. *Qui, quæ, quod* primum subjecti personam induens sæpissime conjunctivum requirit post *reperiri, inveniri, in primis esse, & similia verba prædicati vim sustinentia, v. c. si qui sunt qui velint* (l). Deinde quando pro *ut is, ego, tu, aut cum is, ego, tu,* brevitatis causa ponitur: v. c. *Quamquam quid ego te invitent, a quo jam sciam esse præmissos* (m). Postea, si enuntiatio, quæ pronomen relativum in fronte gerit, cum conjunctivo qui in eadem periodo præceserit, arcte cohareat: v. c. *Sin hoc genere delectavis, ut quæ tibi in mentem veniant, aliis adtribuas* (n). Denique, præcedente

accu-

---

g) Ibid. Ep. 7. b.

h) Ibid. Ep. 6. b.

i) Ibid. Ep. 7. a.

k) Præcept. st. P. I. C. 2.

l) Cic. ad Div. L. I. Ep. I. a.

m) In Catil. Or. I. C. 9. 24.

n) ad Div. L. III. Ep. 8. p. 37. b.

accusativo cum infinitivo; v. c. *Sed scito - plures esse, qui de tributis recusent, quam qui exigi velint* (o). Neque tamen dissimulandum est, anomaliam harum regularum interdum apud priscos occurrere, qua de re videas apud Schellerum loco supra citato. Omnia vitia quæ contextu vel complexu orationis, sive compositione grammatica accidunt, generali appellari solent nomine *Solæcismi*; qui cernitur, cum in verbis pluribus, consequens verbum superiori non accommodatur (p). Ideoque non est vitium in solo verbo, ut barbarismus, quocirca tamen multum disputatum fuisse apud Quintilianum legimus (q). At cum illo non negamus, solæcismum aliquando fieri in voce una, non tamen aliter quam si sit aliquid quod vim alterius vocis obtineat, ad quod vox illa referatur: v. c. si unum quis ad se vocans dicat: *venite*; aut si plures a se dimittens ita loquatur: *discede*; etiam in gestu, quasi aliud voce, aliud nutu vel manu demonstratur: v. c. si illud Terentianum: *o calum, o terra!* ita pronuntietur, ut manus in priore dejiciatur, in altero sustollatur. Per quos autem & quas species accidat Solæcismus, anque ut barbarismus, vel adjectione, vel detractio, vel transmutatione fiat, qua de re inter eruditos non convenit, nostrum non est dijudicare; meminerimus tantum illum esse imparem & inconvenientem partium orationis composituram, quæ per omnes partes orationis deprehendi potest, frequentissime autem in verbo, quia plurima huic accidunt. In verbis, nominibus, pronomibus & participiis, quominus solæcismi irrepant facile impedire potest quisque præcepta syntaxeos aliquantulum tenens; in

C 2

par-

o) Ibid, Ep. 7. b.

p) Ad Herenn. L. IV. C. 12. 17.

q) Inst. Or. L. I. C. 5. 34 - 52.

particulis vero recte usurpandis a vernacula decepti frequentius labimur: v. c. *an* & *aut* significant ambæ vernacule esse; male tamen interrogas hic *aut* ille? *ne* & *non*, *icte*; nullus tamen linguæ peritus *ne feceris* cum *non feceris* confundet (r). Neque præpositionum post verba usus facillimus est, v. c. ut verbum *conciliare*, ita *communicare* videtur dativo jungi debere, at posterius semper cum præpositionibus *inter* vel *cum* junctum apud Ciceronem invenimus (s). Inter solécismos etiam merito referatur *Peregrinitas* in verbis junctis, quæ latina vocabula ex peregrinæ linguæ consuetudine construit: v. c. *vaticinium impletum est*, pro: vaticinio eventus respondit, est Hebraismus; similis *os Deo*, pro: ore, & idoneus *facere*, pro: ad faciendum, sunt Græcissimi; *ita comparatum est cum hac re*, pro: ita res comparata est, & *facere sibi conscientiam*, pro: ducere sibi religioni, sunt Svecicissimi, innumeros ut reticeamus, in quibus frequenter hærare solent tirones nostrates, ideo quod latine scribentes non latine sed svecice meditantur, quos vero, ut tersæ latinitatis naves, quoad ejus fieri potest, cavere debemus, Ita tamen nos non deterreant Svecicissimi, ut omnes locutiones latinas vernaculis similes anxie fugiamus; nam vernaculæ interdum sunt item bene latinæ v. c. *esse in expectatione* (t); *tenere se* (u); *vestis bene sedet*, cet (v). At de puritate grammatica vel nimiam. Addamus tamen admonitionem Ciceronis: ut latine loquamur, videndum est, ut & verba efferamus ea, quæ nemo jure re-

pre-

---

r) Quint. 1. c.

s) ad Div. L. I. Ep. 7. b. item Or. pro P. Quint. C. 4: 15.

t) Cic. ad Div. L. X. Ep. 4. b.

u) Quæst. Acad. L. IV. C. 4. 12.

v) Quint. L. XI. C. 3. 140.

prehendat: & ea sic & casibus, & temporibus, & genere, & numero conservemus, ut ne quid perturbatum ac discrepans, aut praposterum sit (x).

§. IV.

In ideis juste formandis, legitime ordinandis, apteque inter se connectendis, omnem perspicuitatem logicam versari satis patet. At quoniam verba, quibus utimur quo sensa animi nostri ad alios quasi transferre possimus, idearum sunt imagines, cernitur illa perspicuitas in oratione, si ideas ita exprimunt verba, ut ille, cum quo loquimur, vel ad quem scribimus, si modo linguæ qua utimur & rei quam tractamus peritus sit, cogitata nostra bene intelligat. Sin minus, retro obscuritatis velamine obducitur oratio, quæ vel ex rerum incertitia, vel nimia negligentia, vel mala eruditionis affectatione (y) originem ducit; estque inhumana atque imprudens; nam non solum a fine orationi proposito tota quanta aberrat, verum etiam expectationem lectorum auditorumve mirum in modum frustratur. Quis enim est, qui librum quem intelligere nolit, legere cupiat? Latine non solum, verum etiam plane seu perspicue loquendum ac scribendum esse monet Cicero (z), & Quintilianus dicit: otiosum esse sermonem quem auditor suo  
in-

x) De Or. L. III. C. II. in princ.

y) Quintilianus ex Livio narrat: fuisse præceptorem aliquem, qui discipulos obsecrare, quæ dicerent, juberet, Græco vocabulo utens *σκατισσον*. Unde illa scilicet egregia laudatio; tanto melior; ne ego quidem intellexi. Inst. Or. L. VIII. C. 2. 18.

z) De Or. L. III. C. 10. 38.

ingenio non intelligat (*a*). Quare cum cel. Schellero, in perspicuitate principem virtutem orationis quin ponamus, nulli dubitamus (*b*). Quibus vero rebus assequi possimus, ut quæ dicamus intelligantur, aperte docet Cicero: latine scilicet dicendo, verbis usitatis ac proprie demonstrantibus ea quæ significari ac declarari volumus, sine ambiguo verbo, aut sermone, non nimis longa continuatione verborum, non valde productis iis, quæ similitudinis causa ex aliis rebus transferuntur, non disceptis sententiis, non præposteris temporibus, non confusis personis, non perturbato ordine (*c*). Cui toto animo adfertiens Quintilianus: nobis, inquit, prima sit virtus perspicuitas, propria verba, rectus ordo, non in longum dilata conclusio: nihil neque desit, neque superfluat (*d*). In quorum duumvirorum omnis eloquentiæ patrum præcepta de perspicuitate orationis nuperime laudata, diligentius si inquisiveris, haud difficulter invenies, perspicuitatem oriri: ex apto verborum delectu, apto ordine, aptaque connexione. Quibus de rebus seorsim dicemus. Verborum delectum originem esse eloquentiæ, monet apud Ciceronem Cæsar (*e*); at vocabula antea debemus recte intelligere, h. e. scire quæ notiones iis a præcis subjectæ fuerint, quam justum eorum delectum instituere possimus. Ad quam cognitionem nobis comparandam in primis juvat proprietatem vocabulorum bene notam nobis

---

*a*) Inst. Or. L. VIII, C. 2: 19.

*b*) Præc. filii, P. II. C. 1.

*c*) de Or. L. III, C. 13, 49.

*d*) Inst. Or. L. VIII, C. 2, 22.

*e*) Brut. C. 72, 253.



nobis habere. Cujus, quoniam non simpliciter accipitur, sed multas habet formas (*f*), haud inepta, ni fallor, est divisio: in propriam vocabulorum notionem, propriam vim & proprium usum. Propria notio dicitur, inter plures quæ sunt ejusdem nominis, ea, unde ceteræ ductæ sunt (*g*). Itaque non originaria illa quæ a primis linguæ incunabilis propria fuerit, quæ jam forsitan vel periit vel obsolevit, ob mutationes, quas, quoad vivæ sunt, frequenter subeunt linguæ; sed ea quæ hodie velut fons sit omnium derivatarum. Sed quæritur: quomodo propria eruenda sit vocis cujusdam notio? Etymologia in primis hac in re investiganda exoptatissimo nobis erit auxilio: v. c. *Vertex*, originem a vertere ducens, proprie est *contorta in se aqua*, vel quidquid aliud similiter vertitur; inde propter flexum capillorum, *pars summa capitis*; & ex hoc, *quod est in montibus eminentissimum* (*b*). At non facillimum est studium Etymologiæ; nam qui vestigiis ejus feliciter insistere cupit, multarum variarumque rerum cognitione instructus sit oportet, linguarum præcipue, nam e peregrinis sæpe vocabulum derivatum esse potest. Sic ex Hebraico פֶּשֶׁת: *saccus*; ex Græcis νεϕελη; *novus, nebula*, & innumera alia; vel ex alia quadam lingua (*i*). Neque Historiæ & Geographiæ antiquæ, neque veterum rituum, neque Mythologiæ justa cognitione carere potest qui Etyma quærit; inde enim magna vocabulorum turba in usum venit: v. c. *Divitiæ Cræsi; ad cineres usque; pro rostris dicere; Colophonem addere;*  
pro;

*f*) Quint. l. c. in princ.

*g*) Quint. l. c. §. 7.

*h*) l. c. §. 7.

*i*) Quint. L. I. C. 5, 57.

*proprio Marte, vel invita Minerva aliquid facere cet.*<sup>7</sup> Ubi vero origo vocis cujusdam latet, ideoque aditus ad Etymologiam præclusus est, comparandæ sunt omnes vocabuli significationes, unde haud raro fit, ut propria notio eliciatur. Si v. c. vulgatissimas omnes *re legere* significationes, scilicet: *hinc atque illinc decerpendi s. colligendi, legendi, eligendi, inspiciendi, præternavigandi, subripiendi & ferendi* comparaverimus, sine ullo negotio videbimus decerpendi s. colligendi notionem propriam esse & primitivam: nam primum qui librum legit, is verba quasi decerpit sensumque colligit; qui deinde eligit, ex multis optima excerptit eaque colligit; tum, qui aliquid inspicit, partes ejus oculis quasi decerpit; oras præterea objectis variantes qui præternavigat, easdem inspiciendo quasi legit; postea fur quæ subripit clam colligit; denique qui aliquem ferit, membra corporis ejus manibus quasi decerpit. Eodem modo in multis aliis verbis propriam notionem eruere licet (\*).

Propriam vocum & locutionum vim observemus necesse est, ne ea quæ affinia sint confundamus (k): Ad quam indagandam multum valet Etymologia & primariæ notionis scientia. Qui v. c. notum sibi habet: *assiduitatem* (Tråghet) a *sedere*, diligentiam (Noggrannhet) vero a *legere* derivari, numquam hasce confundet voces. At heic Etymologia sola non sufficit; accedant adhuc oportet, & contextus cognitio, & frequens atque accurata præscorum lectio, & bona lexica. His adjuti rebus propriam  
voca-

---

\*) Conferri de tota hac re meretur Disf. Laur. P. Wåhlin Lundæ an. 1801 publicata, *De fontibus notionis propriæ*.

k) Vide Morhof. de pur. dict. lat. C. II. §. 5.

vocabulorum significationem optime addiscimus. Sic novimus: aliud esse *vivere*, aliud *vita frui*, aliud *vitam trahere*; *ira inflammari* non idem esse quod *irasci* cet. De vocabulis synonymis, quibus, quia idem significare dicuntur, quin pro lubitu & promiscue uti possit, nullus dubitat tiro, hoc notandum est: ea plerumque non nisi in generali notione convenire; at diversis addita subjectis, diversitatem aliquam inferre, id quod ex Ciceronis oratione pro Lege Manilia probatur, ubi de Pompejo hæc leguntur: *non - - sum prædicaturus - - quantas ille res - - geserit: ut ejus semper voluntatibus non modo cives assenserint, socii obtemperarint, hostes obedierint; sed etiam venti tempestatesque obsecundarint* (l) Hæc ad differentiam synonymorum: *assentire*, *obtemperare*, *obedire* & *obsecundare* attendas. Hoc ipsum etiam e Quinciliano patet, ubi legitur: *Et intelligo, Et sentio, Et video, sæpe idem valent quod scio; sed his non solum quomodo occurrerint, sed etiam quomodo oporteat, utamur. Non semper enim hæc inter se idem faciunt: nec sicut de intellectu animi recte dixerim video: ita de visu oculorum, intelligo* (m). Adhuc observare licet: synonymorum alia generatim exprimere actionem, alia simul ejus principium; hæc vero in generaliore significatione pro illis interdum poni posse, non tamen semper promiscue adhiberi: v. c. *laudare* indicat actionem generalem; at qui *probat*, *laudat* etiam, sed propterea quod probandum idem quod laude dignum cenlet; qui *commendat*, *laudat* quoque; sed idcirco, ut commendando aliquid commodi procuret. Quod si externa tantum actio cogitatur, possunt *probare*, *laudare* & *commendare* tamquam synonyma haberi, licet re ipsa dif-

D

---

l) C. 16, 48.

m) Inst. Or. L. X. C. 1, 13, 14.



ferant. Quædam synonymorum differunt gradu: v. c. *amare* & *diligere*, quod discrimen usus communis non semper observat (*n*).

Verum in vocibus adhibendis phrasibusque, usui, ut in omni re, ita in loquendo ac scribendo optimo magistro in primis obtemperandum est (*o*). *Proprietas* igitur *usus*, quam etiam *popularitatem* appellare licet, in eo cernitur, si ea verba locutionesque usurpemus, quas communis consuetudo, non plebeja illa ac rustica, sed elegans atque polita jam diu probaverit. Quod ad vocabula adtinet, propriam eorum vim, quoad eius fieri potest, exprimere conabimur, iisque utemur quæ propria sunt & pæne una nata cum rebus ipsis (*p*) seu sua cujusque rei appellatione (*q*), v. c. *jaculari*: pro: jaculum emitte-re; *lapidare*, pro: lapides mittere; *nenia*, pro: carmine funebri cet; sed quum propriis uti verbis vetet interdum honestas; nam & obscena vitabimus & sordida & humilia (*r*), inopia interdum; confugiendum est ad modum transferendi verba, quem necessitas genuit inopia coacta & angustiis; post autem delectatio jucunditasque celebravit (*s*). At translatio, in qua vel maximus est orationis ornatus, verba non suis rebus accommodat; quare proprietas usus non ad nomen, sed vim significandi (non illam propriam atque nativam, de qua supra diximus, sed

---

*n*) Vide Moshem, notas ad Morhof. de pur. dict. lat. C. XI. §. 9.

*o*) Ut cecinit Horatius de Art. poët. v. 70. 199.

*p*) Cic. de Or. L. III. C. 37, 149.

*q*) Quint. L. VIII. C. 2, 1.

*r*) l. c. §. 2.

*s*) Cic. l. c. C. 38, 155.

fed eam, quam elegans ufus verbis tribuit) refertur; nec auditu, fed intellectu perpendenda eft (t). Hoc loco alienum non videtur pauca monere de vocabulis quibusdam, quæ ufus communis aut amplectitur, aut abjicit. Præter fupra dicta: *obfcena, fordida, & bumilia*, vitanda quoque funt vocabula plebeja, licet propria; nam a politiorum loquendi confuetudine abhorrent. Inter cetera vocabula, quorum maxima pars fugienda eft in civili & populari oratione, notemus primum *peregrina*, quæ, licet in vernacula, ut in omnibus vivis linguis vix evitari poffint, eleganti tamen latinæ orationi cave inferas, nifi aut civitate velut donata fint & ab optimæ ætatis fcriptoribus approbata, ut: *rbeda. petoritum, mappa* cet; aut inopia cogat & recentior faltem ufus permittat: v. c. *Landgravius, Marefcallus* cet; alioquin enim, vel perfpicuitati officiant, vel affectationem quæ femper displicet indicant. Eadem eft vocum *hybridarum* ratio. Uti itaque licet vocabulis: *biclinium, epitogium, archidux*, cet. At plane rejiciendæ funt voces *analogiæ repugnantes*, quales funt: *aquamiter, extrinsecus & intrinsecus* in forma adjectiva cet. (v) Verba quidem *obfoleta* in oratione populari fugienda efle monet Cicero; at ea tantum quæ abjecta funt, h. e. ita oblitterata ut propemodum prorfus obfcura facta fint; e contrario *vetufta* vocabula, licet poetarum licentiæ libera, in oratione dignitatem interdum habere non negat (x), & Quintilianus aferit: verba a

D 2

vetu-

t) Quint. I. c. §. 6.

v) Multa ejusmodi finxit barbara fcholasticorum & glosfatorum turba, quæ deinde a Lexicorum fcriptoribus veluti civitate adoptata funt; licet ab ipfa Latinæ linguæ indole plane abhorreant. Heinecc. fund. ft. cult. P. I. C. 1.

x) de Or. L. III. C. 37, 150. & 38, 153.

vetustate repetita orationi majestatem aliquam non sine delectatione asserre. Nam & auctoritatem antiquitatis habent, & quia intermissa sunt, gratiam novitati similem parant. Sed opus est modo, ut neque crebra sint hæc, neque manifesta, quia nihil est odiosius affectatione: nec utique ab ultimis & jam oblitteratis repetita temporibus, qualia sunt *topper*, & *antigerio*, & *exanclare*, & *prospicia* cet; sed, ut novorum optima erunt maxime vetera, ita veterum maxime nova (y). Verba *novita* a Cicerone probata (z) in oratione adhibere integrum nobis sit; ac nova non sine quodam periculo ipsi fingimus. Nam si recepta sunt, modicam laudem asserunt orationi; repudiata, etiam in jocos exeunt (a). Sic igitur verba novandi licentia poetis solis concessa! neque tamen iis qui lingua jam emortua canunt (b). Vocabula *technica* (c) orationi populari ne inferat elegantiam studiosus, nisi urgeat necessitas; quin etiam ipsis de artibus scribens, vocibus potius e probatissimis classicis auctoribus utatur, quam ex illis minus probatis qui de arte ipsa scripsere (d), Ciceronem ea in re imitans, qui artes multas & scientias populari modo tractavit. Idem quod de vocabulis dictum est valet etiam de locutionibus; ut scilicet proprias amplectamur, v. c. *referre ad senatum*, *deportare triumphum*, *classem subducere*, *populus jubet*, *senator censet*, *creare consulem*,

---

y) Inst. Or. L. I. C. 6, 39 — 42.

z) Qualia sunt: *versutiloquus*, *incurvefcere* cet; de Or. l. c. 144 sq.

a) Quint. L. I. C. 5, 71.

b) Horat. de Art. poet. vers. 9, 10, & 48 sqq.

c) v. c. *Theologica*, *Medica*, *Philosophica*, *Juridica* cet. de quibus videas Heinecc. fund. st. cult. P. I. C. 2.

d) Vide Morhof, de pur. dict. lat. C. 5. §. 4.

*fulem, cooptare pontificem* cet; improprias contra repudiemus; v. c. pœnam accipere, pro: dare, naufragium pati, pro: facere cet. (e) Qua in re frequens priscorum lectio & bona lexica in primis opem suppeditabunt. At præ aliis laudari solent propria epitheta substantivis apposita, quibus nihil inveniri potest significantius: ut Cato dixit: *C. Casarem ad evertendam rempublicam sobrium accessisse*; ut Virgilius: *deductum carmen, dulce mustum, cum dentibus albis*; Horatius: *acrem tibiam, dirum Hannibalem* (f) Ovidius: *pavidum metum, mestum dolorem*, cet. quibus abundant in primis summi Poëtæ (\*).

In lingua quavis cultiori, ejus quidem indolis ac Græca illa atque Romana, ubi & casus nominum, & personæ verborum, certis terminationibus iisdemque semper fixis distinguuntur, videtur forsitan primo obtuitu nimis accuratus vocabulorum ordo minus esse necessarius. Sed licet concedamus, ambiguitatem & obscuritatem e longiore verborum traiectione aut mixtura, in lingua latiali toties non oriri, quoties in vernacula & franco-gallica, ubi, nisi subjectum cum objecto confundetur, aut quo pertineant epitheta & prædicata incertum erit, a justo & logico verborum ordine ne unguem quidem transversum discedere licet; tamen haud raro accidit, ut ordo neglectus lectorem impediat, quominus quæ aut loquimur, aut scribimus statim intelligat, ideoque pe spicuitati aliquo modo officiat; quippe quæ jubet,

ea,

e) Cfr. Schell. præc. ff. P. I. C. 2. & P. II. C. 1. item. Ernesti Init. Rhet. P. II. C. 1.

f) Quint. L. VIII. C. 2, 9.

\*) Quæ quidem carminibus aptissima sunt, orationi vero solutæ; populari saltem, haudquaquam inferenda.

ea, quæ a nobis dicentur, tam clara esse, ut in animum eorum qui audiunt, oratio, ut sol in oculos, etiam si in eam non intendatur, incurrat. Quare non ut intelligere possint auditores lectoresve; sed ne omnino possint non intelligere, curandum est (g). Esse itaque quendam vocabulorum ordinem diligenter observandum, ex dictis patet. Quis vero iste ordo sit, aut qualis, nunc docebimus. Ad quod antequam mentem applicuerimus, meminisse oportet, sermonem heic non esse de numerosa verborum structura, quæ concinnitatem orationi conciliat, de qua Cicero loquitur in ultimis capitibus Libri qui Orator inscribitur (h); sed de ordine illo logico qui perspicuitati inservit. Qui ordo, neque ita est fixus & constans, (si a particulis quibusdam & proverbialibus dicendi formis discesteris, de quibus infra), ut interdum immutari non possit; neque ita vagus & inconstans, ut omnibus carens regulis, ex auctorum tantum judicio & priscorum auctorum observatione totus quantus pendeat. Sed quum verba sint notionum imagines, neque omnes notiones in mente simul formentur, sed alii alia succedat, debent primum verba ordinem notionum iis expressarum diligenter servare, ita, ut quæ prius cogitari solent, h. e. quæ prius in rerum natura fuerint, priorem occupent locum; deinde, ut quæ alicujus vocabuli declarandi causa addantur, huic vocabulo arcte jungantur. Hæ duæ sunt procul dubio generales & certissimæ vocabulorum collocandorum regulæ; nam quæ existant aliæ, sunt valde indefinitæ. Haud tamen plane est diffidendum, ab his regulis aliquando fieri exceptiones, vel ad gravitatem orationi conciliandam; vel ad ambiguitatem & obscuritatem

---

g) Quint. l. c. §. 23. sq.

h) Cfr. de Or. l. I. c. 33, 151.





tem evitandam. Valde indefinitæ jure habentur observationes de vocum positione, quas nomine regularum stabilitas voluit Cel Heineccius (i), quarum tamen unam vel alteram recensere debemus. ut magis pateat generalium istarum regularum evidentia; v. c. præceptum Heineccianum secundum hoc est: *Casus obliqui, si id sensus orationis ferat, eleganter nominativo præmittuntur.* Ac hæc nulla est regula nam semper incertus hærebit tiro, utrum obliquum casum præmitti oporteat, an non; quoniam haud est præscriptum quando id ferat, aut non ferat sensus. Notandum vero est: casus obliquos, omnibus omnino locis, ubi nominativis præpositi inveniuntur, non propterea præmissos esse quod obliqui sint; sed ex alia quadam causâ graviore. Unde etiam exemplum illud e Cicerone, quod ad regulam suam firmandam adtulit Heineccius, melius explicatur. Continetur autem illud his verbis: *Nec simulacro Jovis Olympii, aut Doryphori statua deterriti, reliqui minus experti sunt, quid efficere, aut quo progredi possent* (k). Hoc loco præmittitur *to simulacro to deterriti* ideo quod illud hujus causam continet, & causa, propter quam res fit seu fieri potest, ubique prius cogitatur quam res, ergo rei præponitur. Sic sæpissime Cicero: v. c. *Nam jamdiu propter hyemis magnitudinem nihil novi ad nos afferebatur* l. Diximus supra; ea, quæ alicujus vocabuli declarandi causa addantur huic vocabulo arctè juncti debere. Probat etiam hoc Cicero: v. c. *Profec̄to illum, qui banc urbem condidit, Romulum, ad deos - - sustulimus* (m). Hæc verba: *qui b.*

u.

---

i) Fundam. filii cult. P. I. C. 1,

k) Or. C. 2 in princ.

l) ad Div. L. II. Ep. 14 prope fin.

m) Catilin. III. C. 1, 2.

*n. condidit τω illum* arcte junguntur, quoniam ejus declaratio sunt. Similitudo prius cogitatur quam res cum ea comparata. aut per eam illustrata, hinc præponitur v. c. *Anteponatur omnibus Pompejus, cujus res gesta atque virtutes, iisdem, quibus solis cursus, regionibus ac terminis continentur (n).* Observes: vocabula quibus solis cursus, τω regionibus — præposita. Porro: est vero fortunatus ille, cujus ex salute non minor pæne ad omnes, quam ad ipsum ventura sit, letitia pervenerit (o). Hoc modo nobis quidem videtur ordo verborum in tribus hisce e Cicerone allatis exemplis explicandus esse; at Heineccius affert eadem ad sequentes regulas (satis quidem indefinitas) illustrandas. *Reg. III: Propositiones incidentes logicis vocatæ, eleganter adjectivis & substantivis (quibusnam quæso?) aut certe reliquæ orationi (cui loco?) inseruntur.* *Reg IV: Idem tenendum est de ea propositione, quæ comparativos aut verba malo & præstat, sequitur, (quæ sequitur: quam indefinite pro: cum qua comparatio fit.) Hæc enim eleganter comparativo aut certe verbo suo præmittitur.* Unam adhuc recensere lubet Heineccianam regulam XI: *nam scilicet. Adjectiva substantivis sive præponas, sive postponas, perinde est, minus recte; nam adjectivum, si vim prædicati sustinet, substantivo subjecto postponi debet; quoniam subjectum prius cogitatur quam prædicatum. Interdum tamen accidit, ut prædicato postponatur subjectum, vel obscuritatis vitandæ, si v. c. illud breve est & hoc longiore indiget explicatione, ut: *jucunda mihi ejus oratio fuit, cum de animo tuo, de sermonibus, quos de me haberes quotidie, mihi narraret (p);* vel gravitatis orationi conciliandæ causa, si prædicatum tale est, ut præ subjecto sen-*

n) Catilin. IV. C. 10, 21.

o) Cic. Or. pro M. Marcell. C. 1, 3.

p) Cic. ad Div. L. III. Ep. 1. p. 3 i. a.

sentiri debeat, v. c. *Grata tibi esse mea officia non miror* (q). Videmus itaque adjectiva substantivis vel præponi, vel postponi, minime ob solam orationis variationem, ut ait Heinecius; sed certas ob causas easque necessarias. Quorundam vocabulorum, ut supra diximus, ordo ita fixus est, ut ipsum immutari numquam patiatur usus elegans: v. c. conjunctiones *nam, at, verum, sed, cet.* semper ab initio enuntiationum poni debent; contra: *enim, autem, quoque, quidem, cet.* semper post aliquot vocabula locum suum occupant. Præpositio *tenus* semper postponitur, *cum* vero non nisi *vis me, te, se, nobis, vobis*. Præterea in quibusdam proverbiiis, ut *cuneus cuneum trudit, manus manum lavat, cet.* & solemnibus formulis, ut: *Jupiter optimus maximus, pater patratus, Patres conscripti* cet. ordo verborum minime est mutandus.

Ut cogitata nostra perspicue exprimantur non sufficit, bene lecta beneque ordinata esse verba, necesse etiam est, ut inter se apte conjungantur. Ratio autem vocabulorum connectendorum, pro diverso linguarum genio, diversa est; quare tironibus haud injucundum erit specimen aliquod dare differentiae idiomatis vernaculi a latiali. Si duo vocabula diversæ significationis, arcte tamen inter se coherentia connecti debent, utitur vernacula uno tantum &, dum elegantia Romana duplex postulat, v. c. *Jag vill att du fordrar och väntar allt af mig*, latine: *omnia volo a me, & postules & expectes* (r). Solent etiam apud Latinos vocabula ita opposita, ut alterutrum eorum negetur, per duplex *aut, vel,* jungi, dum uno vernacula plerumque contenta est, v. c. *quem tibi aut hominem - - aut*  
E
vere

q) Ibidem L. V. Ep. II. in princ.

r) Cic. ad Div. L. III. Ep. 10. b.

vero deum = = auxilio futurum putas (s)? vernacule:  
 Divilka mennissa eller Gud tror du wäl skal hjelpa dig?  
 In primis pronomen relativum *qui quis quod* ab initio  
 enuntiationum, vel sententiarum obsoletarum positum,  
 connexionem in lingua latiali valde juvat, v. c. *Gravi  
 teste privatus sum amoris summi erga te mei, patre tuo cla-  
 rissimo viro: qui cum suis laudibus - - - superasset omnem  
 fortunam &c* (t) Sufficiat hoc (u); nam qui bene cogi-  
 tata bonis verbis exprimit, is eadem apte etiam conne-  
 cttere haud nescit. Perspicuitati obscuritas inimicissima  
 est, quæ, ut ait Cicero: fit aut longitudine, aut con-  
 tractione orationis, aut ambiguitate, aut inflexione at-  
 que immutatione verborum (v), seu quod idem est:  
 neglectis perspicuitatis præceptis de vocabulis apte deli-  
 gendis atque ordinandis. Sic v. c. ex minus apto verbo-  
 rum, quod ad eorum multitudinem, defectu oritur ob-  
 scuritas, reprehendente Quintiliano: vel inanum verbo-  
 rum turba ac copiosa loquacitate seu *macrologia*, vel ni-  
 mia brevitate, dum orationi necessaria quoque verba sub-  
 trahuntur, seu *Meiosi*; ambiguitas vero, ex vocabulorum,  
 quæ homonyma dicuntur (x), minus distincto provenit  
 usu, v. c. si in scriptis occurrat vocabulum *Taurus* ita  
 indefinite positum, ut nesciat lector utrum sit animal, an  
 mons, an signum in cœlo. Ex neglecto justo verborum  
 ordine oritur sæpissime obscuritas in contextu & conti-  
 nuatione orationis, vel tardiore sermonis traiectione, ut  
 in

---

s) in Verr. L. IV. C. 35, 78.

t) Cic. ad Div. L. II. Ep. 2. in princ.

u) plura vide apud Schell. P. I. C. 7.]

v) de part. Or. C. VI. 19.

x) qualia sunt; *Taurus, gallus, cerno, lego, cet.*

in hyperbaton (y) finis ejus differatur; vel, quæ adhuc peior est, præpostera verborum mixtura (z); vel etiam longiore interjectione (a), quibus omnibus læpissime impediri solet intellectus. Ordo vocabulorum neglectus parit etiam ambiguitatem, v. c. *Ajo te, Aeacida, Romanos vincere posse*, item: *jussit poni statuam auream bastam tenentem*. Verborum autem collocationem vere ambiguum, quæ sensum turbat, non solum evitare oportet elegantia Romanæ studiosum; sed ipsum etiam decet, præcipiente Quintiliano, omnem ambiguitatis speciem diligenter fugere; si quis v. c. dicat: *visum a se hominem librum scribentem*, male sane composuisti is censebitur, fecisseque, quantum in ipso fuit, ambiguum (b). At hanc materiem mittentes, ad tertiam elegantioris latinitatis partem, munditiem scilicet rhetoricam properemus.

§. V.

Verbis grammaticæ puris, bene lectis, apte & perspicue dispositis in oratione uti, initium tantum est veræ elegantia; nam emendate, ut ait Fabius, ac dilucide di-

E 2

cen-

y) *Hyperbaton* proprie est subjecti a prædicato longior divulsio, cujus insigne exemplum videas apud Virg. *Æneid.* XII. v. 161. sqq. Interdum tamen est virtus orationis, vide Quint. *Inst. Or.* L. VIII. C. 6. 69.

z) Quæ *Synchysis* appellatur, cujus exempl. apud Poëtas freq. vide Horat. *Sat.* L. I. *Sat.* 5. v. 72. sqq. Virg. *Æneid.* I. v. 113.

a) a Rhetoribus *parenthesi* dicta. Est persæpe virtus orationis, ipsam enim numerosam efficit, periodorumque structuræ inservit; at longior & multiplex abit in vitium, cfr. Ernesti *Init. Rhet.* P. 2. C. 1.

b) cfr. Quint. *Inst. Or.* L. VII. C. 9. item L. VIII. C. 2, 16. item Cic. *de Divin.* L. II. C. 56.

centium, tenue præmium est (c). Qui vero præclari atque feracis ab alma natura ingenii dote ornatus, litteris artibusque liberaliter instructus, nec consuetudinis-politiorum hominum fructu carens, vocabula ac locutiones sapore quodam vernaculo, ut dixit Cicero, ita adhibet, ut simplex quædam in toto orationis habitu venustas & gratia, seu ἀφελεια animos auditorum capiat & pectora mulceat, is sane urbane loquitur, ejusque orationi inest subtilitas illa atque ενεργεια, quæ captum rudiorum non superans, simul sapientum palato non displicet, quæ quidem imitabilis esse videtur existimanti; sed nihil est experienti minus (d); quodque loquendi genus, tale esse monet Horatius:

— — — — — ut sibi quisvis  
Speret idem: sudet multum, frustra que laboret  
Asus idem (e).

Talem, ut diximus, orationem condere est in primis *munditiei rhetoricæ*, quam ejus esse indolis judicare audent, ut orationem ornet, licet omnis absit insignis ornatus, omniaque deficient verborum ac sententiarum lumina, quæ nimis frequentia atque immodica sensum orationis sæpe obscurant, haud dissimili modo, quo media æstate, sol meridianus radiis suis fulgore coruscantibus, oculos hominis in ipsum inspicientis ita capit, ut circumstantes res vix accurate cernere possit. Quibus vero rebus munditiæ rhetoricæ constet, brevissimis exposituri erimus. Hæc res tota quanta versatur, vel in delectu ingenioso talium vocabulorum, quæ præter quod pura sint atque perspicua,

---

c) Inst. Or. L. VIII. C. 3. in princ.

d) Cic. Or. C. 23, 76.

e) de Art. poet. v. 249. sqq.

cua, suavitatis aliquid habeant, delectationemque auditoribus aliquo modo pariant; vel in apta vocabulorum variatione.

Quod ad delectum adinet verborum, e Quintiliano meminerimus: optima ea haberi vocabula quæ aut maxime exclament, aut sono sint jucundissima. Et honesta quidem turpibus potiora semper este, nec sordidis umquam in oratione erudita, locum. Clara vero atque sublimia, plerumque materiæ modo este cernenda. Quod enim alibi magnificum; tumidum alibi. Et quæ humilia circa res magnas, apta circa minores videntur. Et sicut in oratione nitida, notabile est humiliter verbum & velut macula, ita a sermone tenui, sublime nitidumque discordat, fitque corruptum quia in plano tumet. In superiore paragrapho de perspicuitate, dictum quidem est, vocabula humilia omnino esse vitanda; ac notandum: ipsam verborum humilitatem aliquando vim rebus afferre posse, in oratione quæ submitienda est, v. c. Cicero in Pisonem sic in vehens: *cum tibi tota cognatio in Jarraco advebatur*, incidisse quidem videtur in sordidum nomen, eo tamen contemptum hominis, quem destructum volebat, mirum in modum auxit. Hinc sequitur: vocabula humilia interdum adhiberi posse in oratione urbana, ut & vetusta, quorum nec paucissima inveniuntur apud Virgilium & Sallustium, item novata, de quibus supra disputavimus; si modo, quod reperimus, non apareat affectatio; vel exstet *κοινισμος*, qui sublimia humilibus, vetera novis, poetica vulgaribus misceat. Quantum in junctis verbis decetiam asfectatæ sunt delicatissimæ Romanorum aures, vix dici potest. Omni itaque, aliquando nimio quoque studio, *κακοφωνον* anxie evitarunt; nam *ductare exercitus*, *patrare bellum*, *cum notis hominibus*, *intercapedo* cet. dicere, eorum elegantissimos puduisse narrat Quintilianus. Oratione-

tionem etiam mirum in modum ornant interim elegans pleonasmus, interim concisa brevitatis & ellipsis; at his in rebus cautissimus versari debet tunc, ne in vitia virtutibus vicina imprudens incidat, (quæ, ut supra monuimus, sunt macrologia & Meiosis,) jureque cacozeliæ reus censetur; κακοζηλον enim vocatur quidquid est ultra virtutem, quoties ingenium judicio caret & specie boni fallitur (f).

Apta vocabulorum variatio, necessarias inter virtutes, quas elegans desiderat oratio latialis, non ultimum occupat locum. Est enim ea humanæ naturæ indoles, ut animus, licet unitate quadam certoque ordine totius cujusdam maxime oblectetur; partium tamen ingeniosa variatione vehementer capiatur. In oratione itaque nihil est, (quod mihi concedant omnes!) animis non solum, sed etiam auribus eorum qui audiunt, ingratus quam ὁμοιολογία illa inurbana, quæ nulla varietatis gratia tedium levat, sed est tota unius coloris, efficitque haud raro, ut oratio, optimis licet abundet cogitatis, præclarisque conspicua sit sententiis, tamen inadventos prætervolet auditores, iisque tedium creans quam maxime displiceat. At omnis elegans orationis variatio est in primis præclari & subacti ingenii atque gustus, neque certis regularum limitibus se circumscribi facile patitur. Notemus tantum eam esse duplicem: alteram, ad aures tantum titillandas tædique occurrendum inventam, cum vocibus aut locutionibus idem plane significantibus, vel non valde inter se differentibus, ad τρωπολογίαν evitandam, promiscue utimur: v. c. *cognitio, notitia, scientia; indubitatum, certum, exploratum; nescio quis, quidam; dicere, loqui; qui genuerunt, parentes; sed, autem, vero; etsi, quamquam* cetera. alteram, quæ

---

f) Quint. L. VIII. C. 3, quod totum perlegi meretur.





quæ simul animo pleniore, h. e. dilucidiores, suaviores, & graviores notiones infert. Quod nisi faciat, ab illa potius abstinendum est; nam *quid est, inquit Cicero, tam furiosum, quam verborum vel optimorum, vel ornatissimorum sonitus inanis, nulla subiecta sententia?* (g) Justæ hujusce atque aptæ variationis exempla quædam, e Cicerone petita, hæc laudabimus. Adjectivum, aut epitheton, aut prædicatum, ad quod in primis adtendi debet, substantivo, vel pronomini subiecto junctum, eleganter in substantivum mutatur, & subiectum abit in genitivum, v. c. *Si in calamitatem venit propter prædiorum bonitatem & multitudinem* (h). Item: *Hujus ego temeritati, si virtute atque animo non resistissem* (i). Observentur *prædiorum bonitatem & multitudinem*, pro: *prædia bona & multa*; & *hujus temeritati*, pro: *huic (homini) temerario*, posita esse. Interdum vocabula languidiora mutat Tullius in fortiora atque talia in quibus simul notio secundaria latet: v. c. *tot tantisque sceleribus coopertus* (k). Item: *ut ego hunc unum, ejusmodi reum, post hominum memoriam fuisse arbitrer; cui damnari expediret* (l). Hæc notandum: vocabula vulgaria: *plenus & mereretur*, commutata esse in significantiora: *coopertus & expediret*. Aptæ hacce vocabulorum variatione, præ aliis rebus, conciliatur orationi subtilitas, quæ etiam, & vivida rerum descriptione, seu Diatyposi, & aptis similitudinibus, & Emphasi, (quæ quidem res insigni orationis ornatui atque pompæ in primis propriæ sunt) mirum in modum augetur (m). At satis

jara

g) de Or. L. I. C. 12, 51.

h) pro Rosc. Am. C. 17, 49.

i) ad Div. L. V. Ep. 2. p. 61, a.

k) in Verr. L. I. C. 4. in princ.

l) l. c. C. 3. in fine.

m) cfr. Quint. L. VIII. C. 3.



jam de munditie rhetorica, quæ non nisi legitimum præceptorum de puritate ac perspicuitate usum sistit.

Quicumque igitur pure, perspicue, urbane, h. e. subtiliter & eleganter, latine scribere & loqui gestit, diligente manu Tullium Fabiumque verset; unde, velut e limpidissimo fonte, omnis latialis linguæ elegantia scetet, unde simul a corrupta oratione, quæ in verbis maxime impropriis, redundantibus, comprehensione obscura, compositione fracta, vocum similium aut ambiguarum puerili captatione consistit, sibi cavere optime discit.

